

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

quemadmodum haecenus es solitus, patrocinio eum juvare pergas. Fugilium nostrum speramus restitutum iri propediema, eo quod morbus quamlibet tenax declinare videatur. Commendo eum totumque ministerium nostrum tuis precibus. Resalutant te reverenter collegæ, & mea conjux. Bene vale in Christo JESU, cum tua uxore, familiaque. Scripsi Basileæ. Calend. Novembr. Anno 72.

R. d. 1. totus

Sulcerus, D.

CXVII.

S. Clarissime D. Doctor, Frater charissime.

LIteras tuas nuper scriptas accepi, ex quibus intellexi, Disputationem de duabus Naturis Christi, filio tuo respondente habitam, tibi & Collegis tuis probari; quo nomine Domino gratias ago & eundem oro, ut nos in isto pio consensu confirmet & conservet. Quod idem de schola vestra scribere non potes, Ecclesiæ causa doleo; sed quod mutari non potest, ferendum est, donec ipse Dominus mutaverit. Non equidem negare possum, singulari diligentia à me scriptam esse Disputationem, propter calumnias & æquivocationes infinitas, quas adversarii ad gravandam causam nostram conjungunt, ne ad rem respondere cogantur. Sed spero, illa effugia omnia adempta, & qui veritatem cognoscere cupiant, habere nunc, quo sese expediant. Et ut tardiores quoque juventur, nunc omnia argumenta in Disputatione & scriptis adversariorum allata denuo scribo & solutiones datas adscribo. Ut omnes intelligant, quam non lucem fugiamus: Quod si ipse Calvinus, Beza, Zyvinglius, Heidelbergenses, Wittenbergenses adfuissent, plura exponere non potuissent, nec melius etiam, quam à nostris factum est. Ea cum absoluta fuerint, denuo disputationem ipsam cum argumentis & solutionibus curabo imprimi. Magno autem desiderio tenor cognoscendi, quid Saxonici Doctores de ea disputatione judicent. Ea de re tu ad filium M. Philippum, ut ad nos perferat. Cui sicut & fratri, si potuissent magis grata facere, utique non desuissem aut deesssem illis, quia sapientia, pietas & doctrina in illis mihi probatur. Unum autem est, quod abs te propter Christum peto. Est apud nos optimus quidam vir, exul Jesu Christi propter Evangelium, cujus causa etiam carceris durissimi sustinuit pœnam. Is habet filium 13. annorum, studiis mancipatum, quem cupiat D. consecrare. Quia verò & monasteria & omnia collegia nostra non modo sunt repleta, sed etiam 40. & plures sunt expectantes, ut si apud nos consuli non queat, per Christum oro, si posses eum in Wilhelmitarum

Kkk

Colle-

Collegium recipere; puer est optimæ spei, quem D. M. Heilandus etiam commendat mihi. Si igitur potes aliquid facere, ut facias oro. Est enim duplex pietatis officium erga exulem & filium, qui aliquando Ecclesiæ DEI prodesse poterit. Quid igitur expectandum sit, quæso ad me perscribas: nollem enim patrem cum filio sub dubia spe ad vos mittere. Poteris autem, ut ego spero, plurimum in hac parte, nec te Rector sua autoritate impediet. Bene & feliciter vale, & Collegium vestrum meo nomine reverenter salutabis. Iterum vale. Raptim Tubingæ, 4. Novembris, 1572.

Petit à me D. Illyricus per studiosum quendam Tubingensem, ut si ulla ratione fieri posset, compositionem controversiæ de peccato Originis juvem. Cum ergo omninò sperem, mihi ante festum Nativitatis Mompelgartum eundem, in transitu vos salutabo & aliquid tentabo, spero operam non fore inutilem. Quod te scire volui, ut & ipse de hoc negotio cogites. Nam fortassis incipit intelligere, se neminem habiturum amplius, qui ei adsit in causa mala, & poterimus hac ratione etiam alios adducere, ut communem controversiam juvent. Sed hæc tibi secreto sint scripa. Reliqua, ut spero, coram audies. Ego eo libentius iter Mompelgardum suscipiam, ut hac ratione liceat nobis denuo convenire & de rebus omnibus necessariis familiariter conferre. Vel tandem pericula animos reliquorum, ut spero, incipient conjungere. Iterum & bene vale. Uxorem tuam honestissimam mea reverenter & diligenter salutat.

Tuus ex animo totus frater

Jacobus Andreæ.

CXVIII.

Salutem in Domino.

SALVOS vos & incolumes Rostochium venisse, sanè gaudeo, Deumque precor, ut rebus ex animi sententia confectis, autoritate & prudentia aucti, eadem felicitate quam primum ad nos revertamini. Quæ interim Heri valetudo fuerit, scio vos ex reliquorum literis jam cognovisse. Quoties autem ego in illo metu nostro, imò in præsentè morte Heri, de vobis cogitarim, qui tam procul absentes; quo loco res nostræ essent, ignoraretis, explicare non possum dicendo. Ego pro me stupidus Hero usque affedi, meam, vestram, Ecclesiæ, Scholæ calamitatem tacitè lamentans. Sed benedictus Dominus, cujus sunt, ut Psalmus ait, תִּצְאוּרֵי לְמוֹת, qui hoc gaudium, quo non obscure essegebantur Nestoriani, solidum esse noluerit. Spero autem hanc repentinum

& ve-